



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA.

SISTENS

1735, 15
IDIONOSOLOGIAM,

SIVE

MORBORVM, QVOS IN SE IPSO
EXPERTVS EST, ENARRA-
TIONEM,

QVAM

ANNVENTE DIVINO NUMINE,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRENOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO DOMINO,

DN. HERMAN. PAVLO JVCH,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ET P. T. DECA-
NO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,
CONSENSV ET AVTORITATE

INCLYTI COLLEGII MEDICI

IN PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE HIERANA,
PRÆSIDE

DN. D. IVONE JOANNE STAHLIO,

EMINENTISS. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS.
ORD. ANATOM. CHIRVVG. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD. NEC
NON CIVITATIS CONSULE,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS,
INSIGNIBVS AC PRIVILEGIIS

MORE MAJORVM SOLENNI OBTINENDIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVIVISIONI SVBJICIET
AVTOR

FRIDERIC. CORNELIVS GOTTER,

Melisa - Gothanus.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSUVETIS.
DIE XXVII. JVLII M DCC XXXV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.





Q. D. B. V.

PROŒMIUM.



Qvod paulo serius, quam pro
usitata inter medicorum filios
consuetudine fieri plerum-
que assolet, à studiosorum,
quos vocant, ordine in di-
gniore gradum promoveri
instituiam, factum id est, septendecim, ut ille
ajebat, de causis, quarum prima, eaque instar
omnium, est illud ipsum, de quo præsens in-
stitutum tractare contendit, nimirum *Idionoso-*
logia, seu valetudinum mearum, nescio an in-
terdum paulo scrupulosior, pensitatio. Quid
enim artis honores ambirem, qui me candida-
tum mortis credebam?

A 2

De-

Dederit Deus, ut, quod perpaucis & simpliciter enarrare constituimus, aliqualem, præter illum, qui in nos redundat, usum habeat, iustas ipsi laudes devota mente spondemus.

§. I.

IN nominis ratione reddenda longiorem me esse, supervacuum fuerit, cum pateat, denotare morborum, individuo cuidam propriorum, enarrationem. Auctoritatem eidem conciliare, nihil attinet, re ipsa, quam indigitat, per subjectam explicationem latinam satis explanata, atque in peculiare individuum plane determinata. Ergo ad rem. Quæ me sæpius obtudit de pervulgato illo democriteo: *ἀλλος ἀνθρώπος ἐν γαστέρι νόσος.* Cujus dictæ veritas in me, ut in multis aliis, egregie, proh dolor! confirmata est. Etenim generatio non solum ut initium, sed etiam ut causa status mei actu morborum accusari meretur, dum me parens, in optimo quidem vigore constitutus, & vix annos quadraginta egressus, genuit, sed qui paulo antea sudorem pedum, per plures retro annos uberrime profluentem, nescio quo casu, amiserat, unde, natura tritam olim rhinæorrhagiæ viam repetente, sed non æque proficiente, variis in capite pathematibus, præsertim vero vertigine admodum periebatur, quæ tanto magis non poterat non invalescere, quo calidioribus medicamentis medicus, tunc parenti familiaris, pro more seculi eam sopire intendebat, quibus sepositis & venæ sectioni in brachio subordinatæ cessit malum, tam etsi sudor
in

in loco pristino nunquam denuo prodiret, rhinæ-
morrhagia vero, per vices succedente, suppleretur.

§. II.

Factum hinc sine dubio est, ut ego, quoad longif-
sime possum respicere spatium præteriti temporis, &
puericiæ memoriam recordari ultimam, à notabili su-
dore pedum, secus ac fratres mei, liber, spissitudini san-
guinis, hujusque congestioni in capite obnoxius fuerim,
unde non tantum frequens cephalalgia, cum aucto, &
intra caput sensibili, arteriarum pulsu, sed etiam pro-
pensione in vertiginem, & familiaris mihi olim linguæ
hæsitantia, aliaque mala ortum duxerunt suum, immo
quidquid morbofi extra hunc tramitem, ob intercur-
rentes in diætâ & medicatione errores, ad hunc usque
diem perpetiendum mihi fuit, a nativa illa & hæredita-
ria calamitate non parum auctum est, & exacerbata-
tum.

§. III.

Morbillos equidem quinto, variolas sexto, & fe-
brem petechialem septimo ætatis anno, eaque singula
verno tempore subii, & adhuc dum recordor, morbil-
los, more ipsis superiori anno usitato, præ variolis &
petechiis mihi fecisse negotium, stipatos nimirum ma-
gna humorum commotione, horridisque phantasma-
tibus, & exagitatione mentis turbida.

§. IV.

Sed DEO propitio, naturæ autocratiam roboran-
te, feliciter eludi diram hanc morborum triadem, &
dum ne verberibus quidem, & terrificis comminatio-
nibus à me impetrandum erat, ut vel guttulam aut

pulvisculum pharmaci assumerem, non exiguae vanitatis arguebam operosam illam & officiosam pompam medicam, idque inprimis, cum soror natu maxima, XIX. annorum virgo, febris petechiali una mecum decumbens, exesis plurimis pharmacopolii ampullis nihil juvaretur, sed 14mo morbi die ex vivis decederet, pluresque alii, eodem morbo conflictati, goldbacenses incolæ, fatis methodice defungerentur, anima mirum quam plurimis per intempestivas vomituum provocaciones excussa, quam detestabilem methodum, a medico quodam nunc denato, cui patrii ruris incolæ maximam habebant fidem, frequentatam, sæpius tunc temporis questos fuisse prudentiores, adhuc dum reminiscor.

§. V.

Insequentibus tribus annis morbi vernaes rheumatico-catarrales sua etiam in me exercebant jura, & recordor, grave erysipelas in capite matrem mihi eodem tempore cortice sambuci media egregie solari.

§. VI.

Sed uti naturæ sæpe per facile est, quidquid ad febrim acutarum non adeo malignarum profapiam pertinet, nullis adjuncta medicæ artis auxiliis superare; ita non æque illi datum est, in alius generis morbis, chronice decurrentibus, sibi suoque corpori pari cum facilitate prospicere. Opprimebat me X. annos natum refractarius quidam morbus, consentientibus medicorum Gothanorum celeberrimis pro hydrope ascite declaratus. Et sane haud quaquam leviter mihi tumebat abdomen, sitim quoque experiebar ingentem, quæ non nisi aqua
fon.

fontana & cerevisia secundaria aliquantisper restingui poterat, primariam enim admodum fastidiebam. Hinc nullum disterium ex ZEHNERI sententiis, quas tunc frequentius in manibus habebam, menti meae se vividius imprimebat, quam illud, usu edoctum; *Quo plus sunt potae plus sitiuntur aquae.* Præterea urgebat parcus & dolorosus urinæ proflusus, & quoties vix ad modicam satietatem comederam, difficilis me exagitant respiratio & vomitus. Increfcente in dies malo, & metum mortis incutiente, adigebam denique, ut medicamenta, eo usque mihi exosa, nec vel semel degustata assumerem. Sed officinalia illa, acria & salina, aliquoties, nec sine levamine, usurpata tantopere aversabar denuo, ut mortem oppetere jucundius ducerem, quam diutius illis oppleri. Cedendum quoque erat pertinaciæ meæ, & ad qualiacunque evaporista, vulgo commendata, confugiendum, quæ inter maxime me juvare videbantur decoctum cornu cervi rasi, & liquor ille rubicundus radicis betæ rubræ cum aceto, raphano rusticano, cumino vulgo condiri solitæ, nec ingratum acetarium hyemale præbentis. Hic enim non solum gustu mihi erat pergratus, & egregiam analepsin præbebat, sed etiam urinam subducendo abdomen sitimque cum reliquo symptomatum expectatione citius minuebat.

§. VII.

At salvatum sic ex asciticis undis, in stygem, si invalescant, plerumque excurrentibus, corpusculum paulo post flammis torrebatur & æstu. Scilicet incidebam in febrem continuam, quæ satis misere per XIV. dies

dies me exagitabat, cui cum nec tempus anni, nec epidemicus status fauerent, credibile est, quidquid visciditatis a prægresso hydropis primordio adhuc erat in sanguine & visceribus reliquum naturam excoquere quasi & abstergere per eiusmodi febriles motus voluisse; Sed eam hoc negotium intra memoratum tempus non perfecisse penitus, attamen materiam noxiam in ambitum corporis convehendo interiora liberasse, loquebantur succedentes achores capitis, & apostematodes in peripheria corporis tumores, quorum unus alterum excipiebat, ita ut successiones eorum per totum undecimum ætatis annum extenderentur. Medicaminum interius usurpandorum hic nihil admittebam, vix emplastri ex melle & farina secalis patiens, quod tamdiu impositum relinquebatur, donec vi abstractum abscessum rumperet, quo facto vel idem, vel nullum adhibebatur, natura se statim ad consolidationem componente: Hosce conatus attenuationem & depurationem massæ sanguineæ respicientes intercurrebat non nunquam hæmorrhagia narium, tametsi difficilis & parca, salutari tamen naturæ consilio plethoræ depletioni destinata; quæ semel excedere visa, & inconsulte per frigidam suspensa vix unquam postea readsumta est, locum autem fecit graviori cephalalgia, ab eo tempore una cum connexis pathematibus non leues molestias facessenti.

§. VIII.

Spissitudinem M. S. in seroso humore viscido maxime nidulari constat. Nam serum simile recentum inspissat lympham, atque humoribus salinis & biliosis
in

in consortium tractis universam sanguinis molem conspurcat. Patet hinc, cur transpiratio insensibilis in corpore plus satis calefcente & sudante per imbrem violentius affusum suppressa, corpus, ceteroquin per cessantes tumores suppurantes, omittentemque narium hæmorrhagiam offensum, humida descendarit scabie, quæ sibi relicta, quin per incongruam diætam, uti sunt puerorum mores, magis fota per integrum annum magnis formatis pustulis adfixit, tandemque sua sponte evanescentem uberior infecuta est sanguinis versus caput regurgitatio, invitata nimirum per pristinam rhinæmorrhagiæ ideam, & obfirmata per intensiorem ingenii, memoriæque usum tunc injungi ceceptum. Novum ergo malum obstetricante haud levi cephalalgia inde pullulavit, nempe ophthalmia notha, seu potius ferroso-sanguinea, quæ per menses aliquot omnem fere luminis usum prohibuit, & per illicitum proprio ausu cremorem lactis deteriorata, tandem sine purgante, sine diluente vel temperante, sine collyrio abstergente aut discutiente, solo vesicatorio, suadente matre ter separatim temporibus in nucha posito, profligata est, relicta tamen in sinistro oculo, sævitiæ morbi præ dextro perpeffo, aliquali visus hebetudine cum myopia.

§. IX.

Hactenus satis tolerabiliter. At enim vero cum pubescente ætate in deterius ruere valetudo corporis animique coepit. Assiduus discendi fervor sub privata informatione decoxerat fere puriores & laudabilissimas sanguinis partes adhuc reliquas, & dum multum sedendi, lucubrandique necessitatem imponebat, accumulatio-

B

tio-

tioni humorum, & spiffæ eorum qualitati, quæ hæc us-
 que caput magis offenderant, etiam in hypochondriis
 portam pandebat. Jactum ita erat fundamentum
 mali hypochondriaci per insecutos aliquot annos me
 inquietantis. Interim post superatam cum finiente
 hyeme anni MDCCXVII. febrem rheumaticam levio-
 rem, natura, correctioni humorum ulterius intenta, in
 ambitum corporis deponere occipiebat, quidquid quis-
 quiliarum in sanguine hærebat. Hinc iterum scabie
 tentatus humida sum, quam cum scarificatione, & lava-
 tione in flumine adgressus essem, comparabam mihi
 affectum febrilem, sub horam quartam pomeridianam
 æstu quidem levi, at insigni angustia cardialgica quoti-
 die urgentem, sed post tres horas evanescentem, etsi
 vix intra tres hebdomades periodice finitum: ceterum
 nunquam vel vomitum extorserat, vel adpetentiam aut
 somnum, nisi sub paroxysmis, turbaverat. Frustrante igitur
 expectatum successum remedio intempestive adpli-
 cato, practici cujusdam gothani consilium expetebatur,
 qui varia ad sanguinem depurandum exhibebat, inter
 quæ myrrhata, odore & sapore se prodentia, frequentio-
 ris usus erant. Non prorsus tamen inter hæc abstinēbam
 remediis domesticis, sed ad minuendum pustularum,
 quæ volas manuum occupaverant, ardorem utebar
 foliis recentibus boni henrici, & fursure tritici, quæ
 extus adplicata non parum me solabantur. Cum ve-
 ro istud corporis inquinamentum moram faceret, &
 plenariæ absterfioni vix locum dare velle videretur, de-
 veniebam ausu prorsus temerario, & toties posthac
 poenitendo, in usum sulphuris crudi externum, quod
 sub

subtilissime tritum manibus, ceterisque corporis, quæ maxime adflictae erant, regionibus infricabam. Sua-
debat, rei que bene gestæ fiduciam faciebat commilito,
medicus futurus, qui idem experimentum optimo cum
effectu sibi successisse adfirmabat, omnemque sinistri
eventus metum tanquam frustraneum explodebat,
causam interserens, massam sanguineam per præmis-
sa remedia satis esse & ab omni labe perpurgatam, il-
ludque, quod adhuc in cute hæreat, perexiguum quid
esse, quod ab illito quæ prius eneruetur, & inimica qua-
litate exuatur, quam quidem in sanguinem retrocedat.
Sed quid fit? Extemplo quidem evado magis mundus
quam piscis, sed parum aberat, quin etiam magis mu-
tus fierem, omnique motu privarer. Quippe paucis
intercedentibus diebus enormis in me insultabat capi-
tis dolor, census rheumatici, stipatus nimirum haud le-
vibus stricturis spasticis, per exteriora capitis in muscu-
los thoracis excurrentibus, & respirationi liberæ valde
officientibus. Tolerabam tamen hæc mala, quoniam
inducias faciebant, & per vagas tantum modo vices
ingravecebant, sine ope medica per unam alteramque
hebdomadem. Sed cum quadam die sabbathi, quæ
erat quinta septembris, in concione pomeridiana ser-
moni sacro attentas præbeo aures, aliqualem tinnien-
tem susurrum iis obstrepentem percipio, quo facto
mens mea ineffabili quadam anxierate corripitur, &
quasi obnubilatur. Expers fere & vix compos cogita-
tionum, apoplexiam tamen mihi præfiguro, meque in
agone constitutum existimo. Sedebam, hinc corpus
quidem non labascebat, sensu tamen universalis atoniæ

erat occupatum. Post dimidium circiter minutum sponte hic insultus cedebat, abiens in vehementem cordis palpitationem, totiusque tremorem corporis, quibus post quadrantem horæ pacatis, remanebat quidam mentis stupor & obnubilatio, ita ut quidquid agebam quasi per somnium mihi viderer agere, illæsis tamen actibus vitalibus & rationalibus. Celaveram affidentes, quantum potueram, adfectum, nec parentibus domum veniens aperueram, sed, qui curarum mearum nunquam vel conscium vel socium anxie quæsi, tacitus consulere meæ salutis tentabam, quem in finem, sed quanto cum præjudicato errore, & fomitis morboşi neglectu, aquam apoplecticam Langii, qua nunquam carebant scrinia matris, intus & foris largiter usurpabam. Inde non mirandum, si ad pristinum redire vigorem & serenitatem mens recusat, ob stuporem capitis & dolorem continua formidine redituri insultus apoplectici excruciat, cui symbolum suum conferebat malum hypochondriacum, à scabie repulsa exacerbatum, & dum spasticis suis & anxiiis symptomatibus caput & præcordia petit, dicto insultui certissime velificatum.

§. X.

Et hoc molo cum incipiente auctumno dicti anni M DCC XVII. manifestius se exerente, atque in primis palpitatione cordis, asthmate, & puncturis lateraliibus, nec non sputationibus diurnis, nocturnisque sudationibus, sed omnium maxime increbescente velut jam jam imminentis mortis metu me exagitante, implorabatur auxilium medici non inælebris, qui, indicatio-

catione vel ipsius vel referentis culpa non satis adæquata, ordinabat pilulas purgantes versus vesperam adsumendas, & postero mane vomitorium ex Ꝟo emetico; Utebar utroque, pilulis quidem ultra decies per noctem officio functis, vomitorio autem inter eximias anxietates quater suum faciente. At ne hilum quidem levaminis sentiebam, quin memoratas calamitates auctiores omnes & obfirmatas experiebar, in primis vero increfscens stupor capitis cum incipiente, & ad hunc usque diem perpetuante susarro aurium, nec non inefabilis ille animi angor, qui crebrius & ex improvise invadebat, semperque in tremorem succutientem totius corporis desinebat, me reddebant sollicitum. Agebatur hæc tragœdia per integras triginta hebdomades inter varias variorum medicationes, quarum ista scorbutum, illa morbum complicatum, bilem hæc ex iracundia fervefactam accusabat & supponebat. Et credo, si ad medicum, hæmorrhoides depereuntem, delata res fuisset, eique relata symptomata, quæ interdum patiebar, tarditas alui, & feces duriores sanguineisque striis notatas excipiens molestia tenesmodes, omnem profecto culpam in illas ipsas posuisset, omnemque in iis excitandis fovendisque movisset lapidem. Is enim est seculi mos, ut quidam medicorum qui improvidam quandam *Stabliolatriam* sibi honori & splendori ducunt, theoria hippocratico-stahliaiana abusi nil nisi hæmorrhoides crepent, easque tanquam pathologicæ ignorantie asylum & idolum tantum non in omnes niobos quasi invitas & recusantes violentius transferant; qui tamen mos inter amplos illos & digniores medi-

cos instar vanæ & vagæ vestiendi consuetudinis brevi
 puto exolescet, cum jamdum in medicastrorum plebem,
 tónfores, albarios, bubulcos devenire inceperit. Hæc obi-
 ter. Tandem vero morbus noster devoluebatur in plena-
 riam melancholiam hypochondriacam, in qua quid
 perpeffus sim, quantum vis jucunda prædicetur præteri-
 torum malorum recordatio, animus meminisse horret,
 & fatebuntur mecum, qui in hoc ergastulo desudarunt,
 tali ægrimonia adflictum quævis alias horrenda subire
 paratissimum, si modo detur liberari, liberatumque
 ærumnas alias, aliis vix tolerabiles, levius ferre. Per
 sesquimensem circiter ægritudo illa duraverat, metho-
 dis medicandi, quæ volatilibus inhærebant, omisso pe-
 nitus temperantium usu, credo magis adiuta quam im-
 minuta, cum bono quodam fato medicus, qui dato
 vomitorio primus morbum irritaverat, electuarium li-
 matura martis largiter suffertum præscriberet, quo
 vix ad quartam partem sumto ita relevabar, ut pro-
 figato illo mentis angore, & continuo mortis orci que
 metu, ex reliquis symptomatibus paullatim eluctarer.
 Justus ita per Dei gratiam visceribus tonus restitutus
 reparabat corpori sanitatem, menti tranquillitatem,
 cui tamen alte infixum manebat, quam diuturnis luen-
 da malis repulsa scabies sit.

§. XI.

At morbus in talem consuetudinem & magnitu-
 dinis gradum provectus quid mirum, si non penitus
 eradicari potuerat, præsertim cum animus ad studia
 hætenus intermissa intentius denuo applicatus corpus
 sufficienti motu privaret. Repullulabant ita per æstatem
 anni

anni MDCCXIX. molestiæ antea familiares, sed in gradu mitiori, magis me vellicabat flatulentia sursum directa, at interclusa, cui nunquam mihi antehac obviæ opponebantur carminativa, & semper mihi marsupium turgebat semine sceniculi commasticando. Sed perstabat malum, pulvere nitrato, si modo innotuisset, præsentissime sopiendum.

§. XII.

Videbam hinc, quam parum fidendum meæ sanitati foret, atque, ut illi tanto facilius consulere in posterum possẽm, è gymnasio, quod Gothæ floret, dimissus, medico me devoebam studio, quoniam insuper naturalium rerum scientia jam pridem delectatus fueram. Jenam itaque concedens per primum, quod ibi vixi, semestri spatium non optime erat mea cum valetudine comparatum. Quoniam vero postea mihi innotesceret, mali hypochondriaci citissimam, tutissimam, & jucundissimam medelam esse motum & potum, non eram segnis in comparandis hisce remediis, quorum alterum sine altero esse fere inquit. Per ætatem igitur excursionibus botanicis, & quantum licuit, potoriis, per hiemem vero ludo saltatorio & deambulationibus in museo morbum non mediocriter dilui, domumque redux usu acidularum liebensteiniensium fere penitus obtudi.

§. XIII.

Durabat hæc ^{lætitia} ab Anno MDCCXX. in annum MDCCXXV. ubi, post comestam placentam pinguiorem & calidam, una cum fratre majore, & sorore minore natu in languorem febrilem incidebam. Sympto-

ptomata omnia erant micissima, perdurabatque orthostadia, unde negligentius, more solito, morbum tractabam, nihilque medicamenti adhibebam, soli potui herbae theae quotidie bis inhærens. Cessisse etiam septimo die malum videbatur, at pristinae vires & evsarcia redire volebant. Cum primum cum duobus amicis exspatiarer, observabat alteruter cervicem meam maculis, petechias referentibus, obsessam, quo mihi denunciato, totum corporis ambitum ejusmodi maculis oblitum deprehendo, sola facie excepta. Paulo sollicitum me res habebat; sciebam enim, petechias in orthostadia, ubi nihil tale metuatur, apparere posse. At evanescebat metus, cum appropinquans vespera maculas deleret, easdemque ebullientis massae sanguineae recrementum æeum in ambitum corporis delatum, haud æque noxium argueret. Verum tamen aliquot diebus post insolita me mentis angustia invadebat, quæ mihi totum, quam late patet, orbem quasi nimis angustum & è vestigio deserendum sistebat, quæque, cum frequentius repeteret, licet vix sexagesimam horæ partem perduraret, ex insigni, quam secum ferebat, cordis palpitatione, & relictis puncturis pectoralibus raris sed diffusis, certiozem me reddebat de eximio quodam periculo, quod naturæ immineret. Intelligebam itaque, me febrili isto languore deceptum, ejusque recessus in dies mihi patentiores redditos conspiciebam, pro firmo reputans, materiam febrilem in aliquo viscere confedissee, non nisi lente expugnandam. In hoc rerum statu, & pertimescenda ex infarctu pulmonum & hepatis lenta febre, utebar alexipharmaco-diapnoicis, itera-

iteratasque laxationes instituebam, nunc ope foliorum fennæ & rhabarbari veri in decocto passularum minorum infusorum, nunc per pilulas Beccheri perpetrandas, quibus effeci, ut somnus, qui hætenus satis parvus fuerat, una cum appetentia cibi increverit, quin hæc in bulimiam quandam fere excefferit, sed marcori corporis vix quidquam decessit, qui potius cum iterante animi angore in longius procedens, & defluvio capillorum, nocturnisque sudoribus stipatus, ingruentis hæticæ febris indicia quædam dare videbatur. Reliqua enim signa, quæ talem similemque febrem comitantur, aberant omnia. Alexipharmaco-abstergentibus, & longinquis, sed placidis corporis motionibus angenti mentis moerori & lancinationibus pectoralibus maximam quidem partem confultum est; sed cum venæ sectio in pede, nescio quo fato, omitteretur, & urina, ut antea, instar aquæ limpidæ & parcius secederet, cordis vero palpitationi augescenti gravior dyspnoea accederet; non poterat non visceribus pulmonum & hepatis, superioribus annis jamdum afflitis, male timeri.

§. XIV.

Interim non poteram in illis aliquam præsumere labem, certus tamen de muco viscido pulmonibus in primis infarcto. Verum auctumno anni MDCCXXV. in hyemem inclinato non obscura indicia polypum in corde genitum prodere visa sunt. Nam continuo mihi palpitabat cor, omnesque ejus pulsus sive fortiores sive remissiores distincte sentire & numerare poteram, tamen nullibi arteriam palpabam. Fiebat etiam non raro pulsus cordis cum quadam remora ex improvviso

C

semet

femet objiciente, & arteriam quali obstruente, sed inter aliqualem anxietatem, & subsequam insigniorem palpitationem expedita. Adhæc dudum prægressus ille & per vices insurgens animi angor tanquam vel causa vel effectus testari de polypo videbatur. Namque principium vitale saluti corporis intentum magis ut plurimum expavescit, ægriusque fert imminens & vix nascens, quam præsens & adultum periculum. Præter ea polypus in dextra nare eodem tempore prognatus momentum aliquod addere poterat reliquis indicibus, polypum cordis signantibus. Inprimis vero hydrops pectoris, saltem incipiens, testari tanquam effectus de causa, polypo, volebat. Licet enim hydroptica pectoris inundatio non semper a polypo oriatur, vel cum hoc complicetur, hi duo tamen affectus sæpius conspirant, adeo, ut alter alterum signet & propalet, quin producat. Et ego quidem vix dubitaverim, quod polypum prægressum & exploratum subsequens hydrops pectoris tanquam causam agnoscat, saltem in plurimis.

§. XV.

At enim vero me initiis hujus morbi tentatum fuisse, loquuntur molestiæ, quas tum coram amicis con-questus sum, quæque auctorum suffragio incipientem pectoris hydropem designant. Tales sunt 1.) conferta respiratio. 2.) Tumor sinistri lateris in tergo thoracis. 3.) Fluctuatio intra sinistram thoracis cavitatem, qua, præcurrente levi & transitoria angustia & oppressione respirationis, aqua in cavitate dicta thoracis inferiora versus proluens peculiarem strepitum edebat.

4.) Tor-

4.) Torpor aliqualis brachii sinistri. 5.) Repentina è somno excitatio, cum magno asthma, & quatenus polyphus concurrebat, intermittente pulsu conjuncta. Et sane interdum ex infornio valde anxio, profundas aquas pertransundas mihi præfigurante, me è lecto in fenestram inscius proripui, ut expergefactus periculum lapsus, cui imminebam, horrerim. 6.) Difficultas per moram aliquam in pectus decumbendi. 7.) Contabescencia corporis. 8.) Parcior urinæ & sudoris subalaris, alias consueti, copia. Reliqua symptomata hydrophem pectoris comitari solita, tussim, febriles aridas commotiones, tumorem manuum pedumque, excretionem aquæ per os cum tussi, continens asthma, orthopnoeam in me nunquam sensi, sentienda partim morbo protractiore facta.

§. XVI.

Haud me quidem later, diagnostica hujus morbi signa admodum esse intricata & obscura; attamen cum pleraque eorum, eaque maximam partem pathognomonica in nostro casu vere extiterint, nullum credo restare dubium, in quod vocari morbus possit, & persuasissimum habeo, me non sine causa vitæ meæ & saluti timuisse, sæpiusque pristini hydrophis memorem ex charybdi in scyllam, seu, ut vulgus noster ait, ex pluvia sub impluvium me prolapsum deplorasse, qui dolor non leviter potuisset augeri, si astrologiæ fides fuisset, quæ ex situ horoscopi mortem in undis hariolari quondam audebat. At vero frustra fuit metus omnis per Dei gratiam, quæ usum remediorum, parca licet manu oblatoium, ita adjuvit, ut formidolosæ istæ

morbonæ falculæ feliciter fuerint retusæ. Nimirum poly-po cordis à plethora spissa, quæ cor urget, pro-
 venienti opponebam V. S. in pede, eamque singulis se-
 mestribus sub æquinoctium repetebam, sanguinem eo
 usque profluere sinens, donec calculatione quadam
 certus essem, illum libram unam explere. Equidem
 satis eum spissum reperiēbam, sed, quod hoc loco in-
 terponere libet, etsi sejunctum à re posita est, ratione
 gravitatis eam proportionem inter illum aliosque in
 communi vita magis obvios liquores deprehendere ne-
 quivi, quam celeberrimus JUNCCKERVS denotat, dum
 in *Conspectu Chirurgie* p. 513. refert; gravitatem sangui-
 nis se habere ad gravitatem aliorum liquorum in ra-
 tionē sesqui altera, sive ut 6: 4. vel etiam ut 7: 5. Nam
 tunc, & postea aliquoties reiterato experimento mihi
 constitit, sanguinem sive humanum, sive bubulum se
 habere ad aquam fontanam proxime ut 14: 13. Poly-
 po insuper opponebam diætā frugalem & tenuem,
 sepositis quantum fieri poterat cibis euchylis & nu-
 trimentibus.

§. XVII.

Hydropem pectoris adgrediebar I.) repetitis laxa-
 tionibus per sequentes pilulas institutis: ℞. Extr. aloes
 gum. ʒj. g. ❄ci, res. jal., ʒi. dulc., pulv. squill. mar. a. ʒʒ.
 Elix. PP. q. s. m. F. Pil. ter 60. d. tertio quovis die 1ʒ.
 pro dosi 2.) pulv. sequente, quo & metuendæ phthisi
 consulere volebam ℞. Rad. ari, ir, fl. vincet, a. ʒj. ꝯcr,
 ʒi. cr. a ʒʒ. M. c. sacch. a. p. o. sumatur singulo mane ʒj.
 3.) Huic interdum substituebam infusum theiforme spe-
 cierum convenientium, Rad. vincet, ononid, ari, Hb.
 trif.

trif. fibr., marrub. alb, scord, summit. Cent. min., fol. fenn, agarie, rhabarb. 4.) Mixtura quadam vesperi usurpata ℞. TR. ℥ii acr., Ess. succin, vincet, pimp. alb. a. ʒj. M.D. pro dosi 40. gtt. 5.) Oxymelle squillitico, quod nunc & tunc adsumebam. 6.) Motu corporis ad insignem usque sudationem per acclivia continuato. Præter hæc remedia nihil usurpavi amplius, quin illa ipsa non continua serie adhibui, satietatem medicaminum abstinencia eorum per vices interpolans. Interim rediit quatuor abhinc annis sudor alarum, & symptomata, quæ inchoatum pectoris hydropem indicabant, evanescebant; solus me polypus sollicitum habebat: Tametsi enim nec hic pristinam mihi molestiam adferret, quoniam palpitatio cordis paulatim imminuebatur; difficile tamen erat, sperare, frustum carnis destructum iri. At cum polypus narium, de quo supra dictum, minor fieri incepisset, & successive arefceret, cui tamen nihil unquam remedii externi opposueram, adducebar in opinionem, fieri interdum posse, ut polypus cordis simili modo exarescat & obliteretur, idque jam revera esse factum. Namque polypum narium per attractum & atterentem aërem imminutum esse, persuaderi non poteram, qui potius ex relicta aut coercita struentis principii luxurie, & subtracto nutrimento erronea hujusmodi concrementa emori credebatur.

§. XVIII.

Ita difficilia corporis mala satis belle elutatus, cum V. S. semel superfederem, reportabam incrementum cephalalgiae familiaris, quod in ali-

quot varos tandem solvebatur, quorum unus mento infidens, & negligentius habitus in tumorem durum indolentem, avellanæ magnitudine spatio annuo excrefcebat. Declarabam illum pro steatomate, eique, cum exsectionem metuerem, nunc empl. de cicuta, nunc diachyl. c. gum, & ꝑo imponebam. Sed neque disperebat, neque mollescebat, sub eadem potius duritie increfcebat. Hinc impatientia ductus quotidie mane trecentos ictus satis fortes ligno fageo illi infixi, & ut nimietatem affluentium humorum arcerem, spiritu vini camphorato-crocato perunctum serico, terebinthina oblito, texi. Qua cura in quartam hebdomadam protracta molliri tumor visus est, cumque aliquando fortius comprimeretur, ex concepto foraminulo, quod vix seram suillam admiserit, ad insignem distantiam prorupit materia pultacea vetustum caseum olens, quo pacto cavitas vacuefacta post aliquot menses denovo duritiem tumidam concepit, quæ simili methodo permollita & evacuata ob folliculum retentum priorem fabulam ludit, & adhuc dum superstes est, licet pristinam magnitudinem vix ad dimidium æquet, & quoties libet molliri & evacuari possit, prout hoc nuperrime etiam factum est. Ex his didici, emollitionem tumoris tunicati non semper esse reformidandam.

§. XIX.

Anno superiore sub initium veris post prægressam per vices aliqualem visus obnubilationem oculos dexter interdum lacrimas acriores stillare coepit, tandemque immodestiore fricatione offensus inflammationem spuriam concepit; Aderat enim fluxus serosus cum
 pru-

pruriginē oculorum, palpebræque simul affectæ. Ute-
 bar revellendi sine pilulis Beccheri per resinam jalap,
 extr. helleb. nigr. & ꝑium dulcem acuatis, & V cam-
 phorato-crocatum ad discutiendum exterius impone-
 bam, cedebat etiam altero die inflammatio, sed palpe-
 bra superior in limbo erosa diu exudabat materiam
 glutinosa-purulentam, quæ accedente aere, & salsugi-
 ne lacrimarum in crustam compacta palpebræ adhæ-
 rebat, & oppexa cito recresebat. Tandem vero pal-
 pebram ab omnibus crustulis non sine cruentatione
 liberatam cum elixirio P. P. in limbo aliquoties tetigis-
 sem, vlcuscula consolidata palpebram posthac puram
 reliquerunt.

§. XX.

Ita vero non uno, neque adeo levi morbo per-
 functo jam satis firmam sanitatem concessit divina be-
 nignitas, & quamvis sensus morbidi adeo non exsors
 sim, ut potius antiqua ista & nata mecum mala non le-
 ves mihi molestias interdum facebant, citamque mor-
 tem adferre apta sint, insuper etiam ad paulo succulen-
 tiorem corporis habitum redire nondum potuerim;
 tamen cum illis diu cohabitans & consuescens haud
 æque amplius angor; memor exempli tum commu-
 nioris, naturis morbidis sæpe vitam longiorem quam
 vegetioribus pollicentis, tum peculiaris B. parentis, qui
 se usque ad XLV. ætatis annum satis macilentum fuis-
 se retulit, etsi ego quidem vitæ longævitatatis tantum
 fere sim incuriosus, quantum incertus. Sed claudio

TULLII verbis: *In his longior fui, quam aus-
 vellem aut me putavi fore.*

S. D. G.

29

P. 295



Erffest, Diss., 1735

ULB Halle 3
005 367 840





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.

SISTENS

IDIONOSOLOGIAM,

SIVE

MORBORVM, QVOS IN SE IPSO
EXPERTVS EST, ENARRA-
TIONEM,

QVAM

ANNVENTE DIVINO NUMINE,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO DOMINO,

DN. HERMAN. PAVLO JVCH,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAEXOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ET P. T. DECA-
NO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,
CONSENSV ET AVTORITATEINCLYTI COLLEGII MEDICI
IN PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE HIERANA,
PRÆSIDE

DN. D. IVONE JOANNE STAHLIO,

EMINENTISS. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS.
ORD. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD. NEC
NON CIVITATIS CONSULE,PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS,
INSIGNIBVS AC PRIVILEGIISMORE MAJORVM SOLENNI OBTINENDIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBJICIET
AVTOR

FRIDERIC. CORNELIVS GOTTER,

*Melisa - Gotbanus.*IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
DIE XXVII. JVLII M DCC XXXV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.